

teriolem; marginem vero extimum miniata Patrum nomina occupent, e quorum sententiis *Expositio* coaluit. Praefaminis initium est: *Principia rerum requirenda sunt prius, ut earum notitia plenior possit haberi. Totum Opus exit: Gratia id est purgatio peccatorum et alia dei munera sit cum omnibus vobis amen.* Nulla in toto Codice *Lombardi* mentio, ne quidem in antiquissima Editione *f. l. et a. f.* ad cuius calcem solum legas: *Explicit glossa ordinaria ac magistralis super epistolas beati pauli apostoli &c.* Adscripsit tamen Exemplaris nostri fronti Miniator: *Petri lombardi alias magister sententiarum dicti glosa ordinaria &c.* Vide tamen, ne cum *Walafridiana* confundas.

## CXCVIII.

- U. 290 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 260. f. per duas columnas nitide exaratus, rubricis decorus, et olim, ut *Theca* anterior loquitur, *ex testamento cuiusdam Presbiteri oblatu domui collegij ducalis per M. Paulum de Mellico theologie professorem et decanum Ecclesie s. stephani Wienne* continet, quemadmodum e calce transfero, *Dicta petri Lombardi super epistolas pauli.* In vetusta Editione *f. l. et a. f.* inscribuntur: *Glossa ordinaria; in Parisina vero 1547. 8. Collectanea in omnes D. Pauli Epistolas.* Prologus incipit: *Principia rerum requirenda sunt prius, ut earum noticia plenior possit haberi &c.* Commentarius vero in

*Ep. ad Rom.* ita: *Paulus seruus — qui sunt Rome, bucusque enim pendet litera ut perficiatur sententia, et subintelligitur, mandat vel scribit. &c.* *Augustino, Hieronymo et Ambrosio plurimum ufum fuisse liquet nostrum.* Ad calcem: *et alia dei munera sint cum omnibus vobis. amen. Expliciunt (ut supra) sub anno domini Millesimo tricentesimo septuagesimo octavo sequenti die post festum sancti Michaelis.*

## CXCIX.

Codex chartaceus lat. Sec. XIV. R. 491 Folior. 182. f. per duas columnas nitide exaratus, rubricis distinctus et quondam *Benedicti* cuiusdam *de Bnoffa* continet idem Opus, sed hoc rubro: *Incipit Glosa ordinaria magistri sententiarum Petri Lombardi super Epistolas Pauli doctoris gencium.* Cetera, ut supra, et alias saepius hoc *Vol.* Verum in Expositione v. 17. c. 1. *ad Galatas* Codex deficit.

## CC.

Codex chartaceus lat. Sec. XIV. R. 28 Folior. 203. f. per duas columnas currente calamo exaratus et minio distinctus, est, ut e calce praeoccupo, *Glossa ordinaria magistri petri Lombardi super epistolas beati pauli Apostoli Reportata wienne per stephanum scolarem de chötzze (Kitsee?) Anno domini M<sup>o</sup> CCC<sup>o</sup> LXIX<sup>o</sup>. finita proxima sexta feria post festum sancti Michabelis Archangeli.* Pertingit vero ab **Epi-**